

1. Num Joseph deceptus fuerit. H.C. Matth. 1, 18.
2. De Immanuele Matth. 1, 18-23.
De ελεος μου 1 Joh. 11, 2.
3. De amictu baptiste. Matth. 3, 4. Mr. 1, 6
4. De uetu baptista Mt 3, 4. Mr. 1, 6
5. Curator Sup monte Mt. 5, 14.
6. De benedictioe cura eleemosynar. Mt. 6, 2
7. Prohorum Ananias. Vanitas. Mt. XV, 9.
8. De signis temporum observandis Mt. 16, 1-4
9. De confes. Petri & Resp. Xpi Mt. 16, 13-19. Inueni.
10. Tu es filius filii dei. uentis. Mt. 16, 16.
11. De claris ual. Mt. 16, 19.
12. De ueritate Clav. Ioh. & lig. Mt. 16, 19
13. De didrachmis & Xpi solutus Mt. 17, 24 &
^{parabola}
14. Supra de operibus uinum. Mt. 20, 1-16
15. Vol. Xpi congregari uolentes Mt. 23, 37.
16. Chibitulum. De haecomo Eryti Mt. 24, 14.
17. De otidagio Xpi. Mt. 24, 28
18. Ager sanguinis Mt. 27, 3-11.
19. Tumba seruatoris. Mt. 27, 60
20. De curi Judaeorum. Mt. 28, 1. Mr. 16, 2.
21. De curi mortuorum & claris sanctis. Mr. 6, 13. Iui. V, 14 &
22. De incarnationis mysterio Luc. 1, 35
23. De Maria Xpi preservata.
24. De nomine Iesu. Luc. 2, 21
25. De uentis absp. peccatorum Luc. 7, 47, 48
26. οφθαλμοί Luc. 8, 13.
27. Xpi curi Sabbatica Luc. XV.
28. De demonia mystica Luc. XVI, 9
29. De curi. Luc. 16, 9
..... Luc. 16, 9.
30. De lacrymis Xpi. Luc. XIX, 41.
31. In gladio accinctus Luc. 22, 38

80
R

Q. D. B. V.
EXERCITATIO PHILOLOGICA
DE

MULIERE BE-
THANIÆ CHRISTUM
UNGENTE,

Occasione Loci Matth. XXVI, 6.7.

Quam
INDULTU AMPLISSIMÆ FACULTATIS
PHILOSOPHICÆ

PRÆSIDE

M. ABRAHAMO *Bäsche* / Fil.

Fautore suo omni tempore colendo,

Doctorem Censuræ

Subjicit

AUTOR & RESPONDENS

Gottfridus *Böhm* / Vratislaviâ Sil.

S. S. Theol. Cultor.

Anno MDCC, d. XVII. Febr.

H. L. Q. C.

LIPSIÆ,

Excudebat CHRISTOPH. FLEISCHERUS,

3

BYEGETATIO PHONOLOGICA

MULLER P. R. B. B.

THAMNE CHESTUM

INGENT

OVUM X. V. V. V.

INDUCTIO ANTIQVITATE FACILITAT

PHONOLOGIA

P. R. B. B.

M. A. B. K. A. H. A. M. O. N. I. U. M.

PHONOLOGIA

PHONOLOGIA

PHONOLOGIA

PHONOLOGIA

PHONOLOGIA

PHONOLOGIA

PHONOLOGIA

PHONOLOGIA

PHONOLOGIA

PHONOLOGIA

PHONOLOGIA

PHONOLOGIA





§. 1.



Ogitantibus nobis de Specimine Studio-
rum nostrorum Academicorum, sanctissi-
mæ literæ non unam suppeditarunt Occa-
sionem. Temporis autem Ratio cum
habenda omnino sit, atque Passio acer-
bissima Innocentissimi Salvatoris, Eccele-
siæ Abyssum illam profundissimam Amo-
ris divini ob oculos ponat, ex illa ali-
quid selegimus. Nimium memores illi-

us dicti quod apud Joh. Hornbeckium, *Theol. Pract. Part. I. Lib. V. Cap. VI. p. 492.* (edit. Francof. & Lips.) Ephræm Syrum protu-
lisse lægimus quod se ita habet: *Huc omnes Ecclesiæ Filii accedite qui
sancto & precioso Sanguine immaculati Agni redempti estis. Venite,
meditemur Passiones Christi cum Gemitu & Lachrymis, atque inter
meditandum contragemus, dicentes ad invicem: Christus Salvator
noster pro nobis Morti traditus est: Historiam Passionis ad Manus
sumimus. In hujus initio cum Christus ipse Mulierem illam, quæ
eundem Bethaniæ unxit, tantis laudibus extulerit, atque quod hoc
ipsum Factum in ungentis Fœminæ Memoriam honorificam,
per totum Orbem, ubi Evangelium prædicatum fuerit, de prædicandum
esse, Matth. XXVI, 13. dixerit memorabilem hanc memorandam-
que semper in Domo DEI, quæ est Ecclesiæ, Unctionem selegimus.
De hac dicturi nunc sumus, quæ Philologiæ sacræ Studiosus in Cathedra
philosophica proponere potest. Hoc antequam aggrediamur opus,
ante omnia divinum Numen per Passiones Christi Θεανθρωπος implo-
ramus, velit nobis in hoc labore adesse atque ne à veritatis Tramite
aberremus cayere, inque sui Nominis Sanctissimi Gloriam omnia
dirigere.*

§. 2.

De unctione illa apud Matth. Cap. XXVI, 6. - 13. agitur comma-
tibus



tibus; illustrabimus nunc 6. & 7. quæ ita fluunt: τῷ δὲ Ἰησοῦ γενομένῳ ἐν Βηθανίᾳ ἐν οἰκίᾳ Σίμωνος τοῦ λεπροῦ. Προσηλθεν αὐτῷ γυνὴ ἀλάβαστρον μύρον ἔχουσα βαρυτίμη, καὶ κατέχευεν ἐπὶ τὴν κεφαλὴν αὐτοῦ ἀνακειμένης.

§. 3.

Ubi Christum Mulier hæc accesserit clare innuitur, dum Matthæus non modo locum generatim, sed & speciatim Domum Simonis Leprosi nominat. Ita enim vers. 6. τῷ δὲ Ἰησοῦ γενομένῳ ἐν Βηθανίᾳ ἐν οἰκίᾳ Σίμωνος τοῦ λεπροῦ. In hac loci Circumstantia conspirat Matthæus cum Marco egregiè: Βηθανία quid vi Nominis significet inter Philologos non convenit. Qui his vocum Derivationibus delectatur, adeat Antonium Bynæum de Pass. Christi, (*de qua latine Commentar. amplissimum IV. libris constantem Amstel. 1691. in 4to edidit*) Lib. I. cap. 3 §. VII p. 179 & 180 ubi plurimas exhibet Derivationes. Verum cum ex ipsius iudicio adductæ ab ipso derivationes Conjecturæ tantum sint, illas missas facimus, hæc notantes quod quindecim fere stadiis ab Hierosolymis secesserit Job. XI, 18. atque Johanni vicus Mariæ & Marthæ vocetur Job. XI, 1. Notamus tamen hic cum Joh. Casp. Svicero *Tbes. Eccles. Tom. I. p. 681.* sub voce Βηθανία, Scorsum Jesuitam, qui duplicem facit Bethaniam, alteram propè Hierosolymam, ubi Lazarus fuit suscitatus Job. XI. alteram trans Jordanem, ubi Johannes baptizabat Job. I. 28. Priorem ille vult esse Domum Afflictionis ab Hebr. בית צדקה: posteriorem Domum Navis ab Hebr. בית נאוו: navis, quia ibi fuerit Navis ad Trajectum Jordanis parata, unde eadem Locus dicatur Bethabara. Verum huic Sententiæ objicit celeberrimus Svicerus, paucissima Exemplaria tantum legere Βηθανία. Et egregia Observatio est quam Svidas habet nimirum Job. I, 28. non legendum ἐν Βηθανίᾳ, sed ἐν Βηθαβαρᾷ, quia Bethania cis Jordanem; Bethabara vero, ubi Johannes baptizabat, trans Jordanem sit.

§. 4.

In hac Bethania Domus erat Simonis leprosi. λέπρα Populo Israelitico non infrequens malum quod cum Hominibus etiam vestibus atque ædibus commune fuit. Hanc inanimatarum rerum Leporam exteris ignotam fuisse Anton. Bynæus lib. I. C. III. §. 17. p. 197 observat

fervat. Agitur hoc de vitio Levit. XIII. Et quamvis hæc Pœna ma-
 xima fuerit, tamen Medicinam aliquam adhibuisse, quod malum hoc
 tolleret, non legimus, cum Morbus hic à Deo ipso in Pœnam Pecca-
 torum immissus fuerit. Huc pertinent, quæ Tacitus *Lib. V. Histor.*
Cap. III. scribit. Plurimi Autores consentiunt, orta per Ægyptum Ta-
 be, quæ Corpora foedaret, Regem Bochorim, adito Hammonis
 Oraculo, remedium petentem, purgare Regnum & id Genus Homi-
 num ut invisum Deis, alias in Terras avehere jussum. Justinus *Lib.*
XXVI. cap. 2. paulo aliter. Sed Ægyptii, quum Scabiem & vitiligi-
 nem paterentur, responso moniti, eum cum ægris, ne Pestis ad plu-
 res serperet, terminis Ægypti pellunt. Verum quando Morbum hunc
 contagiosum Justinus scribit, illud asserit, quod contra Hebræorum
 de Lepra Traditionem est. Ex his quippe *Anton. Bynæus l. c. §. XVIII.*
 docet nihil Morbum hunc Contagiosi habuisse. Audiamus hac de
 re Celsum. *Vitiligo, Lib. V. Cap. 28 p. m. 341.* inquit, *quamvis nullum*
per se Periculum affert, tamen fœda est & ex malo fit Corporis Habitu.
Addamus Apulejum Apol. Ea namque Tabes, si foras Corporis prospici-
ravit majori de decore quam noxa diffunditur. Corporis enim primo-
rem Cutem Vitiligine in signit. Nec sine ratione hoc adseritur, Lepra
 quippe, cum ad particularia Judicia Dei pertineat, se ad alios facile
 extendere non solet, illaque, ordinarie contagiosa non fuit. Sed adsunt
 & aliæ rationes, quæ ipsæ de Lepra Leges considerantibus illas offe-
 runt. Verum premimus easdem Silentio, illud exinde videntes, fre-
 quens hoc malum Simoni cognomentum dedisse Ἰσὶ λεπγῶ.

S. S.

Ita vocari Simonem, non quod tunc Temporis habuerit Le-
 pram, sed quod aliquando vel ipse vel aliquis Majorum ipsius hoc
 Morbo laboraverit, doctissimi viri adserunt. Prior Sententia, quod
 ipse Leporam habuerit, est *Hieronimi, Chrysofomi, Theophylacti, Da-*
vid. Paræi, Job. Piscatoris, Hugonis Grotii, Friderici Spanhemii,
Salomonis Glassi, cum quibus & ipse *Bynæus sentit Cap. I. §. 18. p. 201.*
 cui & nos adstipulamur, mirantes quomodo ad illas Cogitationes de-
 venerint Doctiores etiam, atque cognomentum Familiæ esse adseru-
 erint. Sententiam disjunctivam *Job. Cameronis* esse, quam & Bel-
 gæ Interpretes habent, modo citat. I. Bynæus observat. Idem sentit

A 3

Johb

Joh. Gerhardus Harm. Evangel. Tom. II. Cap. CXLIII. p. m. 36. ubi tamen magis nostræ favet Sententiæ, quam verisimiliorem vocat. Nec alia Joh. Marckii in *Textualibus Exercitationibus ad quinquaginta selecta loca V. & N. I. Exercitation XXVII. §. 3. p. 232.* Sententia est, qui scribit *leprosum dictum fuisse vel a Majoribus, vel à præterita aegritudine.* Horum Sententiam repetit Herman Versteeg *S. Minist. Candid. in recentissimo Scripto quod in scripsit ΤΑ ΠΑΘΗΜΑΤΑ ΤΟΥ ΧΡΙΣΤΟΥ, s. Tractationem brevem de Passione Servatoris nostri Jesu Christi ex Matth. XXVI. & XXVII. atque Trajecti ad Rben. presente anno edidit.* Verum hæc conjectura quæ Leprosi Familiæ cognomentum dedit verisimilis plane nobis non videtur, eò quod hac ratione multis Judaici Populi Familiis cognomentum hoc commune fuisset. Vel ostendenda esset ratio quæ proprium huic genti fecisset Nomen illud Leprosi. Verisimillima hæc Sententia, quæ à Morbo præterito, à quo Christus Simonem fortè liberavit hoc Cognomentum deducit. Constat enim Denominativa & Epitheta quandoque de subjectis suis prædicari, etiamsi Fundamentum ipsorum & Denominationis ratio desierit, quod Glassius *Phil. Sacr. Lib. III. Tract. I. Canon. III. p. 382. docet*, ubi & præsentem adducit Locum subjicitque verba Chrysostomi, qui scribit, *Permansit pristinum Nomen ut Virtus Curantis appareat.*

§. 6.

Neque tamen Silentii peplo involvere possumus Doctissimi Juvenis, prout Herm. Versteegium vocat Facultas Theologica Trajectina, in Judicio de ipsius brevi Tractatione Passionis Christi modo citata, Censuram, *qua illos notat etiam ex suis, qui Lazarum leprosum vocant pag. 8.* Procul dubio intelligit eos qui Lazarum leprosum tunc fuisse statuunt. Verum cum neminem adducat, dubitamus an aliquis inter Doctos qui nomen habet, ita senserit, in primis cum Anton. Bynæus, *Vir infinitæ Lætionis, in amplissimo suo Commentario ad Pass. Dom. l. 1. Cap. III. §. 18. p. 201.* neminem adducat, præter Ambrosium in *Luc. Lib. VI.* quem his Verbis hoc sensisse videri scribit: *Apparet quod Christus leprosum non refugit, non vitavit immundum, ut maculas humani Corporis posset abluere: quod ipsum ex Joh. Gerh. Harm. Evangel. T. II. Cap. CXLIII p. 36, habet.* Obstat autem huic

huic Sententiæ Lex DEI, quæ leprofos ab omnî Societate humana
excluebat, *Levit. XIII. 45. 46. Num. V. 23.*

§. 7.

In hujus itaque Simonis, qui leprosus fuit, Domo quæ in Betha-
nia erat, Christus tum fuit cum Mulier eundem accederet. *Γυνή*
Matthæo & Marco Persona ungens vocatur. Vox hæc omnem Se-
xus foeminei ætatem ac Conditionem complectitur quod ipsum in
Libro de Natali Jesu Christi secundo se ostendisse scribit *Anton. Bynæ-*
us Lib. I. de Passio. Jes. Christi Cap. III. §. 23. p. 213. Verum Scri-
ptum hoc cum evolere nobis concessum non sit multa Lectu dig-
nissima forte prætermittere cogimur. Hoc saltem notamus ex *Suice-*
ri Thesaur. Eccles. Tom. I. p. 811. vocem hanc non tantum Foeminam,
in Conjugio viventem, verum & virginem significare, quod ex *Matth.*
I. 20. apparet, ut & *Gal. IV. 4. Job. II. 4.* Huc pertinentem *Isidori*
Pelusiota locum ex Epist. CLXXVI. Lib. III. adducit: Sic autem ille:
Γυνή καὶ ἡ παρθένος καλεῖται καὶ ἀνέπαφος ἢ γυνή διὰ τὸ
εἶδος, καὶ ἀκέραιος ἢ γυνή διὰ τὴν φύσιν, καὶ ἀρρενικῆς
ὀμιλίας ἀμύητος ἰσχυράνη i. e. *Mulier Virgo quoque appellatur*
etiamsi intacta sit: Mulier ob sexum etiamsi integra sit: mulier ob na-
turam etsi masculi congressus experta sit. Adducitur quoque Tertul-
lianus de Virginibus (velandis in quo Cap. IV. de hac Mulieris voce e-
leganter agit) cum *Briffonio de verborum significat. Lib. XI.* Nec de-
funt nobis profanorum Scriptorum Testimonia, quæ hic adducere
possemus. Sanè Hesiodus Virginis maturæ ætatem *annis XIV. nubi-*
lis XV. definiens, ait: *ἡ δὲ γυνή γέτορ ἡβώη, πέμπτω καὶ γαρμείτω.*
Nec Jurium Magistris hæc significatio ignota. Sic enim Ulpianus:
Mulierem ita arctam, ut mulier fieri non possit, sanam non videri
constat L. 14. §. 7. ff. de adilit. condit. Hæc pluraque leguntur in
Theaur. Epistolico, ita enim vocare possumus Exercitationes Philo-
logicas ad Græcum Epistolarum Dominicalium Textum, Illustris
Theologi DN. D. Joh. Olearii P. P. Præceptoris nostri æternum deve-
nerandi Exercit. V. Pos. XIII. & Exercit. XII. Posit. I. addatur
Petr. Daniel Huetius demo nstrat. Evangel. p. ed. Lipsiens. 775.

§. 8.

Hæc autem Mulier quomodo vocetur, statim videbimus, præ-
mis-



missis saltem nonnullis postulatis. Ponimus itaque extra omnem Dubitationis aleam *Matth. XXVI, 6. - 13. cum Marco XIV, 3-9.* unam eandemque Historiam enarrare, quod ita quidem evidens Legentibus est ut dubitandi ratio subnasci nulla possit. Deinde & hoc ponimus, quod cum his unam eandemque Historiam exhibeat *Johannes XII. 1-8* fuit in hac sententia *Augustinus Lib. II. de Consens. Evangel. Cap. 79. Non est dubium, sic ille, quod hi tres Evangelista eandem rem narrent gestam in Bethania.* Idem sentiunt *Jodocus Clichtovaeus, Dionysius Carthusianus, Faber Stapulensis, Jansenius, Salmero, Maldonatus, Haga & Barradius à B. Job. Gerhardo Harm. Evangel. T. II. Cap. CXLIII. p. m. 29 citati,* ubi & observat adductos Scriptores Baronio hac in Parte contradicere & absurditatis opinionem contrarium arguere, addimus *hic Cornelium a Lapide, qui ad Job. XII. vers. 2. ita: hæc Cæna eadem est cum illa quam narrat Matthæus Cap. 26. ubi eam explicui.* Est in hac quoque Sententia è recentioribus *Anton. Bynæus qui Job. Gerhardum ut Ductorem sequitur.* Audiamus hunc qui *Lib. I. Cap. III. §. V. p. 173. rationes in Compendio exhibet. Eadem Historie Summa, scribit, idem Locus, idem Tempus circa Jesu mortem, idem qui ungitur, eadem qua ungit, idem unguentum, ejusdem Pretii, in eodem Vase, idem Discipulorum Judicium, eadem Indignationis Argumenta, eadem Jesu Apologia. Idem sentit in adducta Exercitatione supra Johan, Marck.*

S. S.

Verum dissentiunt à nobis *Origenes, Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius* ex antiquioribus à *Joh. Gerhardo* adducti, ut & *Osiander,* cujus verba & *Bynæus* è *Gerhardo nostro* exhibet: Et sic illa in *Annot. ad Harm. lib. III. c. 35. non possum satis mirari, quid illis in Mentem venerit, qui putarunt eandem unctiorem a Matthæo, Marco & Johanne esse descriptam.* Verum nos miramur potius *Osiandrum* qui in tanta Narrationis Harmonia Discrepantiam ejusmodi se observasse putat, quæ eum cogat adserere diversas narrari Historias. Dissensum quoque *Baronii* observat laudatus Theologus noster, quem ad *Annum XXII. Num. 27 28 duo diversa diversis Diebus exhibita Jesu fuisse Convivia docere perhibet, quorum primum factum fuerit in Domo Lazari, à mortuis suscitati Job. XII. alterum vero apud Simonem cognomento*

mento Leprosum. Ad hanc Classem pertinet quoque Joh. Lightfootus
in Chronico Temporum & ordine Textuum N. T. Sect. LXXX à Bynæo
citatus pag. 174. cujusque Sententiam Polus exhibet in Synopsi Critico-
rum & Commentarior. in Job. XII, 2. quam Sententiam etiam in Horis
ipsius Hebraicis & Talmudicis ad IV. Evangel. & quidem ad Job. XII,
2. p. m. 1079 observavimus, ubi duo Convivia ante Passionem Christi
facit primum de quo Job. XII. alterum de quo apud Matthæum Marcum
& Johan. XIII. Et sunt quæ contra nostram Sententiam adferre so-
lent, de quibus tamen Judicium Anton. Bynæi proximè citat. loco pag.
174 proferre non dubito, illa nimirum vel adeo levia esse, ut contem-
ni possint, vel nullum diversitatis præbere indicium. Veruntamen
urgent, Diversitatem Temporis observari. Enim vero cum Job. XII, 2.
dicatur, Christum sex diebus ante Pascha Bethaniam venisse, cui statim
subjicitur Historia unctionis, Matthæus autem cum Marco ante Histo-
riam hanc illa adducant quæ biduo ante Pascha facta sunt, exinde,
diversam Historiam apud Johannem haberi, colligunt. Verum hic
facilis Responsio. Solent enim Philologi cum B. Joh. Gerhardo
observare, quod Convivium hoc non dicatur sex Diebus ante Pascha
celebratum. Cum itaque constet Evangelistas non semper Ordinem
rerum in Enarratione observasse, sed sæpius ex Occasione data ali-
quid inseruisse, verisimillima Sententia Theol. nostri est, quæ eo ten-
dit, Johannem per Anticipationem mentionem hujus Uctionis fecisse
Matth. & Marcum illis ex Occasione subjecisse, quæ tamen eo ordi-
ne, quo contigerunt, hanc Uctionem demum exceperunt. Et exin-
de fluit quod non sextiduo nec biduo ante Pascha convivium fuerit ce-
lebratum; cujus tamen Tempus accuratius determinari non potest. Et
hæc nostra Mens est ex Occasione illorum quæ apud Joh. Gerbardum
ad h. l. in Harm. Evang. p. 30. seq. & Anton. Bynæum p. 174. 175. 176. 177.
legimus. conf. Herm. Versteeg, qui tamen dubius est an una an vero plures
sint Narrationes apud Matthæum, Marcum & Johannem. Cæteroquin
satis benè monet, Matth. & Marc. in Plusquam perfecto loqui, ita
ut Sensus sit: Proditoriam istam Jude cum Sacerdotibus Transactio-
nem contigisse, postquam Jesus Bethania cœnasset, ac à Muliere unctus
esset. hæc citatus Versteeg p. 7. cit. l. habet.

Inde nunc videmus, Mulierem hanc, cujus Nomen Matth. atque Marcus premit, esse Mariam, quod ex Johanne constat, Sororem Lazari Job. XI, 1. Pietas hujus Mulieris passim commendatur Luc. X, 39. 42. Ac proinde dubitamus an hæc ipsa famosa illa Mulier, vulgò Maria Magdalena dicta, fuerit, de qua Luc. VII, 37. Est in hac Sententia Joh. Lightfootus in *Horis Hebr. & Talmud. ad Evangel. S. Job. XII, 3. p. m. 1080 seq. Magdalam ab urbe Magdala propè Hierosolymam sitam, Nomen accepisse conjicit.* De hoc loco ex Hebraicis Scriptoribus notat, quod propter Adulteria famosus fuerit, qui cum aliis Civitatibus destructus dicitur, nimirum ut Cabul propter Discordiam, Sichin propter Artes Magicas, sic Magdala propter Scortationem destructa est. His celeberrimus vir hoc subjicit: *Jam ergo quid prohibet, quo minus Soror Lazari Bethaniensis vocari possit Magdalena & ob Vicinitatem hujus Oppidi, quo forsitan elocata est in Matrimonium & ob mores Oppidanorum lascivos: quæ Tabe maculatam fuisse Mariam Magdalenam creditur valgo.* Et fatemur libenter non indoctos Viros hanc fovere Sententiam. Hugo Grotius ipse unam eandemque hanc in nostro Loco Mariam putat, cum illa, de qua Lucas, dum adferit, idem planè factum quoque esse. Verba ipsius exhibet sapius citatus *Byneus §. III. p. 164.* Sed cum illa prolixiora sint, Mentem ejus atque rationes paucis subjicimus. Palmarium ejus Argumentum est, quod *Historia temerè multiplicanda non sint. Temere autem multiplicari exinde colligit h. l. quod quedam Circumstantiæ invicem conveniant.* Sed cum illæ sint generalissimæ atque ipsa Collatio Locorum Legentibus Diversitatem Facti ob oculos ponat, rectè rejicitur hæc Sententia Grotii à *Byneo §. IV.* Præiverunt Fautoribus illius Sententiæ, quæ unam ubique Mulierem fuisse adseris Antiquiores, ut *Augustinus de Consens. Evangel. Lib. II. Cap. 79.* quem pluri mi Occidentaliū secuti sunt. Et horum Vestigia legunt multi recentiorum Scriptorum, in primis cum in Rituali Ecclesiæ Romanæ habita pro una fuerit. Inde est quod *Nicol. Lyra ad Job. XI.* scribat: *Consuetudo Ecclesiæ tenet, quod eadem Mulier fuerit, de qua narrat Lucas tacito ejus Nomine & quæ hic dicitur Soror Lazari. Nec mirum quia officium Ecclesiasticum a S. Gregorio ordinatum est, qui*
hujus

hujus opinionis fuit. Subscribunt Rituali Romanæ Ecclesiæ Baronius
Tom. I. Annalium ad Annum 32 n. 17. à Gerharo c. l. p. 37 & 38 addu-
ctus, Maldonatus, Cornelius a Lapide ad hunc locum & alii.

§. II.

Nec tamen desunt, qui nostris favent Partibus. *Clemens Romanus* Lib. III. constitut. Apostol. Cap. 6. Mariam Magdalenam distinguit à Maria, Lazari Sorore. *Ambros.* Lib. V. in Luc. Cap. VII. in dubio relinquit; *Potest*, inquit, *non eadem esse, ne sibi contrarium Evangelistæ dixisse videantur.* *Chrysostomus.* tamen Homil. 81. in Matth. & Homil. 61. in Johan. Peccatricem in Domo Simonis Pharisei Christum ungentem, à Maria, Lazari Sorore, manifeste distinguit. His *Basilium Seleuciensem, Theophilum Antiochenum, Eusebium Pampbili, Augustinum, Photium, Bernhardum, Theophylactum, Euthymium, Leontiumque* addit *Job. Gerhard* Harm. Evangel. Cap. CXLIII. pag. 39. Notat ibidem citatus *Gerhardus*, quod *Jodocus Clichtovæus* & *Jacobus Faber Stapulensis*, integris Libris defendant, plures fuisse Christi unctrices. Horum Scriptorum Lemmata *Anton. Bynæus* nominat, dum pag. 178. scribit; citatos Autores edidisse Scripta de tribus Mariis, Peccatrice, *Marthæ* & *Lazari Sorore*, & illa ex qua ejecta septem Dæmonia. His Scriptis sese opposuit *Job. Fischerus*, Roffensis Episcopus, qui jussu Henrici VIII. Anglorum Regis, quod consentire nollet in ejus divortium, cum Catharina, Regis Ferdinandi Hispaniarum Filia, & multò minus decretum illud, quo Henricus, Rom. Pontificis abrogata dignitate profitebatur, se caput esse totius per Angliam Ecclesiæ, probaret, una cum Thom. Moro Regni Cancellario capite truncatus est Anno sup. Seculi 35. dum contra Fabrum Libros III. de una Magdalena, contra Clichtovæum Librum unum scripsit, quod *Bynæus* cit. l. §. XXIII. p. 213. seq. annotavit. Neque hic prætermittere possumus *Albercum Magnum* in Luc. VII. Caput, qui postquam utramque sententiam protulisset, ita de illis opinionibus judicat: *Ecce ista Diversitas Opinionum Patrum, & accipiat quilibet quod vult.* Solent equidem Amatores sententiæ de una Maria Magdalenâ etiam *Origenem* ut Fautorem illius Sententiæ allegare, verum istis opponimus in Antiquitatibus versatissimum *Petr. Dan. Huetium* in Observ. & Not. ad Origenis Commentar. p.

44. qui de Origine apud *Bynæum* §. 3. p. 166. ita : *valde incerta & desultoria fuisse Sententia videtur.* Et videri hoc potest in Locis, adductis à *Bynæo*, quæ & *Gerhardus* p. 39. Harm. Evangel. exhibet. Apparet, exinde quod si Autoritatibus pugnandum esset, nulla Sententia rejicienda sit. Verum cum tamen probabilior eligenda, nobis illa placet, quæ aliam apud *Matthæum*, *Marcum* & *Joh.* aliam apud *Lucam* Mariam facit. Nam persuadere non possumus nobis Peccatricem illam eandem esse cum hac *Lazari* & *Marthæ* Sorore, quos Dominus diligebat, Pietate clarissima, ita cum *Drusio* sentimus. Et quantum se Calumniis proscindendi occasionem, dedisset optimus Salvator si quando cum famosa ejusmodi Muliere arctam adeo Amicitiam aluisset. Plures pro hac Sententia Rationes quæ eandem probabilem reddunt *B. Gerhardus* citato sæpius loco p. 40. habet & p. 41 ex *Salmerone* alias exhibet, quæ videri possunt. conf. *Bynæum* §. 23. p. 218. qui observat quod nullibi, ubi Maria, Soror Lazari, memoratur, ullum Indicium sit, ex quo possit colligi quod fuerit illa Peccatrix & viceversa. Præterea nunquam per Mariam hanc, Maria Magdalena indigitatur, nec usquam hæc vocatur *Marthæ* & *Lazari* Soror. Quæstionem illam quæ moveri posset, an Maria in conjugio an vero extra illud vixerit, intactam relinquimus, quamvis si nostris Conjecturis Locus superesset, mallems adferere, illam tunc coelibem vitam degisse.

§. 12.

Sed relinquamus tandem Mariam atque Factum ipsius consideremus. Accedit hæc ad Christum *ἔχουσα ἀλάβασρον.* Ita vasculum audit in quo unguentum fuit. Vocem hanc ab *α* privat. & *λαβεῖν* derivari, *Methodio* præeunte apud *Etymolog.* ut receptissimam Sententiam proponit *Svicerus* Tom. I. p. 174. Contra hanc vocis Derivationem tamen disputat *Anton. Bynæus* Lib. I. Cap. III. 3. 29. p. 243. atque derivationem *Clavdii Salmasii*, *Vossio* in Etymologico approbatam, quem ille *Virorum maximum* vocat, præfert, quod & *Svicerus* facit. Deducit enim præsentem Vocem ita: *ἀλάβασρος* quasi *ἀνάβασρος* ab *ἀναβάσας* quatenus notat *ferre, gestare,* v in *λ* attice & Æolice converso. Videamus nunc quid illa vox significet. An Materiam, an vero figuram designet nondum constat inter Philologos. Cum a. antiquiores vel ex Scri-

ptis

tis vel etiam ex Traditione accuratiorem hac de re Notitiam habere
 potuerint, illorum Sententiæ hic maximi æstimandæ sunt. Anti-
 quissimi Scriptores vero de Alabastris vitreis ut & lapideis loquuntur,
 quod tum apud *Gerhard. Harm. Evangel. Cap. CXLIII. p. 42. seq.*
 tum apud *Bynæum Lib. Cap. 3. §. 29.* videre est; colligimus inde A-
 labastri Nomen generale esse, quod vasa cujuscunque Generis un-
 guentaria denotet. Gratulamur nobis h. L. de consensu *Suiceri*
Theaur. Eccles. T. I. p. 175. Inde nihil certi de Materia va-
 sculi proferre omnes, qui aliquid hac de re adferre volunt,
 apparet.

§. 13.

Ἀλάβαστρον μύρα βαρυλίμω ita *Matthæus, Marcus* addit *νάρις*
πισικῆς πολυέλῃς. De Μύρα illud notamus quod apud *Athenæ-*
um Deipnosoph. Lib. XV. Cap. XI. p. 688. legimus. Docet ille
Archilochum omnium primum voce μύρον usum fuisse, dum dixit:
Anus cum sit, μύροις, ungentis non illinitur. Et Idem alibi: *un-*
guento perfusa Coma rectusque madidum est: Amat enim Senex.
 Græce apud *Athenæum* sic expressa verba: Ἰῶ καὶ Ἰῆ μύρα
 ὀνόματι πρώτος Ἀρχίλοχος κέχρηται λέγων

ἐν ἄν μύροιςι γράυς εἰὸς ἠλείφῃ
 καὶ ἀλλαχῆ δ' ἔφει ἐσμυρισμένας κόμας
 καὶ σῆθος ὡς ἀνκαὶ γέρον ἠράσσαλο.

Subjicit his *Athenæus* hoc; *Æoles ungenta vocare ἔ μύρα*
ἔ σμύρα quia multa conficiuntur ἐ Myrrha. Is. Casaubonus in Ani-
 madversionibus ad hunc *Philologi* locum p. 974. μύρον Græcis omne
unguenti Genus significare perhibet. Deinde liquet Materiam quæ
 in vasculo fuit, determinari, dumque dicitur μύρα βαρυλίμω.
 Variationem aliquam *Lectio* in hac voce non tantum *Oxonien-
 sis N. T. Græci Editio,* sed & *Erasmii,* prout illa *Frankfurti Anno 1637*
in 4to edita est, notat. Verum illa levior est. Notatu dignior,
 quam observant docti apud *Marcum.* In ibi quippe ver-
 ba: *νάρις πισικῆς πολυέλῃς,* quæ ubique leguntur, in

Codice Cantabrigiensi, quo Theodorus Beza usus fuit deesse dicuntur. Verum hoc quoque movere nos non debet, ut à recepta Lectioe omnium Exemplarium recedamus, in qua species Unguenti describitur.

§. 14.

Nárdos à Plinio Libr. XII. Cap. XII. sic delineatur: Frutex est, gravi & crassa radice, sed brevi ac nigra, fragilique, quamvis pingui situm redolente ut Cyperi aspero sapore, folio parvo densoque. Cacumina in Aristas se spargunt; ideo gemina dote Nardi spicas ac Folia celebrant. Huc trahe, quæ Salmasius in Plinianis Exercitationibus, p. 746. habet, & illa quæ apud Cornel. à Lapide in Cantic. IV, 13. leguntur. Nardus autem & apud Græcos & Latinos unguentum Nardinum significat. Id ex Horatii Carminum Lib. II. Od. XI. patebit ubi ita canit:

*Cur non sub alta vel Platano, vel bac
Pinu jacentes sic temere & Rosa
Canos odorati Capillos,
Dum licet, Assyriaque Nardo
Potamus uncti?*

Nárdos πικρή quid sit, ipsa sententiarum Multitudo determinare non permittit. Qui illas fere omnes in accuratissimo Compendio videre vult, videat *Anton. Bynæum* Lib. I. Cap. III. §. XXVI. à pag. 221. ad p. 234. Eadem fere sunt quæ habet *Job. Marcius* Textualium Exercitat. ad quinquaginta selecta Loca Vet. & N. T. Exercitat. XXVII. Thes. IV. Non obscuri Nominis Philologi puram minimeque adulteratam Nardum; alii à Loco hoc deducunt cognomen, quem tamen ut nobis quidem videtur nondum invenerunt; cum ille locus, qui pretiosissimum Nardum tulisset, clarior procul dubio atque Notior fuisset. Si ex Spicis Nardi Factum Unguentum cum aliis intelligeretur, de voce spicata lis non statim sopienda oriretur. Parum momenti in hac voce πικρή esset, si saltem Confusionem & Imminutionem innueret, vel etiam liquidam Nardum indicaret. Et longius ex Syriaco quæsitâ interpretatio, quæ tor-

que-

queret, non item explicaret vocem. Neque tamen audeamus asserere omnes, omnium dictarum Sententiarum Fautores à vero aberrasse. Fatemur itaque potius nos ignorare, quid speciatim indicetur hac Voce, ne conjecturis Sententiarum Numerus, qui ingenia confundit, augeatur. Hoc tamen scimus generatim Excellentiam Nardi hujus, voce illa *πικρή* denotari, quæ an à loco, an à Materia, an modo præparationis, an à Puritate, an vero ex aliquibus harum conjecturarum simul sit desumenda, ipsi nescimus.

§. 15.

Hanc Excellentiam indicat Pretiositas, sparsusque per *οὐκία* odor. Venit hoc unguentum *τριανυσίων δηναρίων*, ita apud Marcum & Johannem. Denarii vox Romanum Nummum significat, qua de re Gronovius de Pecunia vetere Lib. I. C. III. Lib. II. Cap. VI, Marquardus Freberus in dissertat. de Numismate Censuræ, Lipsius de Magnitudine Rom. Lib. II. Cap. III Casaubonus contra Baronium Exercit. XVI. Cap. VI. & alii Antiquitatum Romanarum Conditores. Bynæus ad hodiernam Monetam redegit, putatque, quod sex & triginta Imperiales sint trecenti illi Denarii. Et quamvis Lightfootus Horar. Hebraic. in Marc. scribat, Non facile esse, Summam illam ad proprium Valorem redigere, partim quod duplex fuerit Denarius, argenteus & aureus, partim quod duplex Nummi Valor & æstimatio, Hierosolymitani & Tyrii; tamen hanc difficultatem frustra fingi, perhibet. Intelligendum enim esse, Denarium Romanum vulgari qualis tunc in usu fuit. Et, si verum est, quod ex Gronovio de Pecunia Lib. III Cap. XV. addit, quod Denarius non nisi argenteus fuerit, aurei autem, de quibus in Veterum scriptis mentio fit, non Romani sed peregrini sint, facile Bynæo subscribimus, vid. lib. I. Cap. III. §. L. p. 287. seq. Et tanti Pretii unguentum odorem sparsit latissimè. Impleta est odore *οὐκία* apud Johannem legitur. *οὐκός* est Triclinium ipsum ubi cenabant vel in ea Cœnatione separata Pars quadam instar Celle, etiam Latinis Oeci, ut ad Theophrastum observabamus, ita Casaubonus in Animadvers. ad Athenæum Lib. IV. Cap. II. p. 246. l. 23. *οὐκοὶ αἰγυπτίοι* non sunt ædes Ægyptiorum, sed Triclinia sive Oeci Ægyptii, de quibus aliquid dicebamus Lib. V. Cap. VI. Sic. lib. XI, citatus.

Ca

Casaubonus ad Athenaeum Cap. VI. lin. 62. p. 790 Hæc dum legimus & hoc loco forte illam Domus Partem intelligendam esse, in qua Cibum capit Salvator Optimus, putamus. Idem sentire nobiscum hæc in revidetur *Lightfootus* Hor. Hebr. ad Johann. Cap. XII, 3. Dum hæc ex Hebræis adducit: *melius est Nomen bonum quam unguentum bonum. Unguentum bonum (per odorem suum) transit è Cubili in Triclinium; at Nomen bonum ab uno sine Mundi ad alterum.*

§. 16.

Hoc oleum super Caput Christi recumbentis ad Coenam, effudit. Marcus addit quod fregerit Alabastrum, Johannes, quod & Pedes unxerit & exterserit Capillis suis, utrumque factum, sed quo ordine, determinare non possumus. Verum, sit probabilior *August. sententia* Lib. II. de Consens. Evangel. Cap. LXXIX. quod prius *Pedes unxerit, deinceps Vasculum fregerit, atque super Caput Christi effuderit*, Nihil tamen certi constat. Et sanè in usu erat apud antiquos unctio hæc vivorum de qua quædam subjiciemus, illustrantia hæc Scripturæ Loca. Hoc neminem, qui Antiquitatis Monumenta levi oculo adspexit, latet, Judæis Græcis pariter ac Romanis ungenti morem in usu fuisse. Apparebit hoc ex Autoribus mox citandis. Nunc saltem *Martialem* audiamus, cujus egregium Lusum omittere non possumus. Hic Fabullam ita irridet Lib. III. Epigr. XII.

*Unguentum, fateor, bonum, dedisti
Convivis, Here: Sed nihil scidisti.
Res salsa est bene olere & esurire.
Qui non cœnat & ungitur, Fabulle,
Hic vere mihi mortuus videtur.*

Quod & Hebræi in primis Coenæ Tempore sese unxerint, ex illa Phrasi colligere licet, quæ *Psal. XXXIII, 5.* legitur. Imò ipsi Christo approbatur Mos ungenti, quando quidem *Matth. VI, 17. Jejunantes jubet ungere Caput.* Probat hanc Assertionem, de uncto apud Veteres Capite *Psal. CXXI, 5. Eccles. IX, 8.* Faciem etiam ungere solebant. *Psal. CIV, 15.* Nec de pedibus quod uncti fuerint, dubitare nos sinit Benedictio quæ Asheri contigit *Deuter. XXXIII, 24.* vid. & *Psal. LXV, 12.* Nec Gentibus morem hunc ungenti Pedes ignotum fuisse *Athenæus* Lib. XIII Dei-
pno.

philosophi. p. 553. testatur. Adducimus hic Jacob. Dalechampi Interpretationem: Athenis mos fuit luxuriosis unguentis Pedes illinire, ut inquit, Cephisodorus in Trophonio ad hunc modum:

*Mibi deinde unguentum eme quo linatur Corpus,
Irinum ac Rhodinum: mibi quidem id volupe est, Xanthia:*

Seorsum autem Pedibus Mercator Baccharin.

Et elegans est Observatio, quam laudatus modo Philologus Lib. XV. Deipnosophist. p. 689. habet, ubi Antiquos adeo curiosos fuisse atque diligentes in unguentorum usu dicit, ut privatim unicuique Parti Corporis idonea scirent, enarrat deinde unguenta ex Scriptoribus antiquis, Ægyptium Sc. Unguentum pedibus & cruribus, Phœnicium Buccis & Uteribus, Sisybrinum Brachiis, Amara cinum Superciliis & Comis idoneum esse. Adducimus hac de re saltem adhuc Job. Lightfootum Hor. Hebr. in Joh. Cap. XII, 3 p. 1081. ubi ex Menachoth hæc exhibet: Protulit vasculum aureum plenum oleo, quo tinxit Manus & pedes. Postquam hac ratione uncti fuerunt, linteis interdum tergebantur. Petronius Testis adest Cap. 28. p. 8. (Edit. Michael Hadrianidis Amstel. 1669 8tav.) jam Trimalchio Unguento perfusus, tergebatur non Linteis sed Palliis ex mollissima Lana factis: observat ad hunc locum Doussa, à Lavatione tenuiores Oleo ditiores contra unguento perfusos, linteis tergeri morem fuisse. Inde hoc quoque inter Laucias Trimalchionis posuisse Arbitrum. Adducit Martialem Lib. X.

Linteæ ferret Apro vacuus, cum Vernula nuper &c.

Et hunc morem foeminam hanc observasse hoc loco, quod si adseramus, à vero non procul fortè aberrabimus, imprimis si præcessisse Lotionem, dicamus. Accedit ferè ad nostram Sententiam laudatus Lightfootus p. 1081. c. l. Addimus tandem ex Job. Marckii citat. Dissert. Thes. VIII, quod triplex unctionis hujus finis fuerit, Exornatio nimirum, Corroboratio & gratus Odor, quæ ibi illustrata legi possunt. Nos hic pedem figimus, atque lubenter fatemur, quod Exercitatio hæc a nobis ita exornata non sit, ut eam Luce publica dignam putemus. Verum cum ratio Studiorum nostrorum reddenda & tamen partim Temporis Angustia, quibus circumscripti hæc scripsimus, id non permittant, partim Apparatus Librorum nos deficiat, partim

C

etiam

etiam virile Robur, quod ad ejusmodi Labores requiritur non dum ad-
sit, gratum Odorem benevolo Lectori non promittimus. DEO tamen,
quod vires animi & Corporis nobis clementissi-
mè concesserit, debentur Gratia, cui
proinde Soli fit.

Laus Honor & Gloria!

COROLLARIA.

- I. Ex Sequentibus Circumstantia, in Antecedentibus
omissa sæpè colligitur.
- II. Varietas Paucularum Circumstantiarum non osten-
dit, in varias Historias dispendendas esse Narrationes,
non per omnia similes si cœtera consentiant. Vid.
Johan. Clericus Harm. Evangel. dissert. II. Canon.
IV. & VII.
- III. Doctores Eruditionis & sanctitatis laude clari sæpe
numero Sententias mutant, quo ipso Homines se esse
testantur.
- IV. Unguentorum Usus omnino probandus.
- V. Fœmineus Sexus æque Virtutibus excellere potest ac
Masculinus.
- VI. Inde Fœminas quoque ad Eruditionis Arcana per-
venire posse putamus.
- VII. Finis Unctionis Matth. XXVI, 12. indicatus Mulieri
forte ignotus fuit.
- VIII. Antiquis Scriptoribus in illis, quæ rationibus mu-
nita proferunt, saltem eatenus Fides habenda, qua-
tenus ratio sese nobis approbat. In illis autem quæ ex
Traditione se accepisse scribunt ipsa Traditio an Fide
digna examinanda atque Scriptores illorum Tempo-
rum conferendi.

Egre-

E Gregium specimen grator.,
Concedat Iova
Porro tuis studiis prospera fata,
precor.

D. Johannes Schmidius, P.P.

Doctorum libros legisti, dulcis
Amice,
In studiis tene hac sedulitasq; fuit
Maxima, quod specimen monstrat,
quod publica lux nunc
Cernere cum magno laudis ho-
nore potest.
Cur non ipse tuis applaudam car-
mine factis
Quod petis, hinc votum do tibi
corde meum:
Ut studiis ex asse tuis benedicat
Iova,
Quò metam ex voto tangere rite
queas.

C 2

Faxit

Faxit & ut docti vestigia Præsidis
æques,

Atq; tuæ Patrię gaudia multa feras!

Paucis hisce lineolis Pereximio Domino Respondenti,
Auditori suo diligentissimo, applaudit

M. Joh. Günther, Diac. ad D.

Nicol. & Collegii B. M. V. Collegiatus.

Cum Sophiæ placitis & claris
pectora docta

Artibus imbueris, nocte dieq; tua;

Cum, quas priscus Eber coluit, quas

Græcia quondam (quet:

Excoluit, linguas Te didicisse li-

Quid superest? cathedram magna

conscendere laude, (loqui.

Atque tueri artes, doctaque nosse

Crede mihi claras didicisse fide-

ter artes,

Deque illis scitè differuisse juvat.

Hæc gratulabundus accinebat doctissimo Domino Re-
spondenti, Auditori suo perquam industrio,

M. Christianus Ludovici, P.P.

753962


ULB Halle 3
001 854 02X



Sb.

2

VD 12







Q. D. B. V.
EXERCITATIO PHILOLOGICA
DE
**MULIERE BE-
THANIE CHRISTUM
UNGENTE,**
Occasione Loci Matth. XXVI, 6.7.

Quam
INDULTU AMPLISSIMÆ FACULTATIS
PHILOSOPHICÆ
PRÆSIDE
M. ABRAHAMO *Bäschke* / Fil.
Fautore suo omni tempore colendo,
Doctorem Censuræ

Subjicit
AUTOR & RESPONDENS
Gottfridus *Böhm* / Vratislaviâ Sil.
S. S. Theol. Cultor.

Anno MDCC, d. XVII. Febr.

H. L. Q. C.

LIPSIÆ,
Excudebat CHRISTOPH. FLEISCHERUS,